

# PROLEGOMENA

74

stum tradidit: Judæ Discipuli idem in Christi Vicarios moliuntur; sed qui propter omnium hominum salutem tradi se passus est, non patietur suos vicarios in Ecclesia, & Religio-  
nis perniciem circunveniri.

## CAPUT XII.

*Expenditur epistola paragraphus terius.*

**V**ERUM (prosequitur Quesnellus )  
 „ **E**cadem illa nomina, quibus primùm  
 „ **ext**erreor, simul etiam invitant,  
 „ & consolantur, adduntque piam mihi, con-  
 „ stantemque fiduciam, accedendi propriūs  
 „ ad Apostolicam vestram Sedem, ubi cer-  
 „ tissimum esse debet perfugium veritati,  
 „ quæ, ut olim Tertullianus, hoc unum ex-  
 „ optat, nè inaudita damnetur. Nè mireris,  
 „ Beatissime Pater, si non meam, sed verita-  
 „ tis causam appellem eam, quæ coram Vo-  
 „ bis jam agitur, occasione libri, cui titulus  
 „ est: *Considerationes morales in novum Do-*  
 „ *mini nostri Iesu Christi Testamentum:* ad  
 „ cuius examen institutam esse auctoritate  
 „ vestrâ Congregationem nuper accepi.

Quid habeant *illa nomina*, ut magnopere Quesnellum *exterrent*, si ejus, & sociorum sensu accipiantur, non video. Sic enim magna quidem *Nomina* sunt, sed magna significationis apud Novatores expertia, ut capite superiore deteximus. Quis etiam credit, Quesnellum non inibis Pontificum *terreri*, qui emissus ab eis excommunicationum fulmina, Catholicis omnibus maximè terribilia, ridet, atque contemnit? Sic in *Epistola Abbatis ad quandam Romanae Curie Prælatum* Quesnellus de se, & suis affectis testatur pag. 30. *Romani majore pollut ingenio, quam ut credant nos terreri sententiâ latæ excommunicationis Pontifici reservatæ.* Non terreri Pontificiis censuris Quesnellum, ipsi facile credimus afferenti. Hanc enim audaciam plurimi scriptis dudum reddidit manifestam. Sola ejus adversus Constitutionem *UNIGENTIUS* rebellio hæreticis pariter, & Catholicis notissima, Authorem convincit testimonio multiplici, & ineluctabili de publico Romanorum Pontificum, & censurarum omnium contemptu.

Quà igitur fronte audet hypocrita finire, se tantâ veneratione CLEMENTEM XI. prosequi, ut vel solis dignitatum ejus *nomi-  
nibus* terreatur. Non minus absurdum, atque impudens est *invitationis, consolationis, fiduciae* commentum. Quis enim credit adeò insanire Quesnellum, ut *confidat* Apostolicam Sedem revocaturam judicium dogmaticum,

& approbaturam quatuor tomos, tanquam veritati in omnibus consonos, in quibus post examen, ut rei gravitas postulabat, matrum, ac diligens, deprehendit præter corruptionem Scripturarum, *propositiones seditio-  
nas, temerarias, pernicioseas, erroneous, alias  
damnatas, & Jansenianam hæresim manifeste  
sapientes*, ut CLEMENS XI. in Decreto anni 1708. declaravit? Non est Romanus Pontifex, ut quidam Episcopi tam in condemnationibus, quām in approbationibus dogmaticis, facilis adeò, ut hodie ædificatum cogatur dies crastinus destruere. In Decretis ad mera humana facta pertinentibus, quæ testimoniis hominum fallacibus nituntur, errorem subinde Pontificibus contigisse, & mox ubi innotuit, fuisse retractatum, non ibo inficias; atque ea æquitas Sedis Apostolicæ, non exigua ejusdem laus est, quām utinam imitari semper videtur Episcopos, & inferiorum etiam laicorum tribunalium Judges! Quot scandalâ cessarent pusillorum, & oppressiones innocentium! Sed in dogmatibus ad fidem, & bonos mores pertinentibus, quidquid hæretici, aut novatores garrant, Pontifices unquam Decreta falsa, aut noxia ex Cathedra condidisse hactenus non videntur; ut proinde nihil in similibus fuerit retractandum.

Si autem Quesnellus primum erroris exemplum in suarum opinionum damnatione occurrisse existimet, confidatque primum fore retractationis, nimium temerarius est, & spe deluditur inanissimâ. Quām enim misera foret Ecclesiæ conditio, & Divinis promissionibus contraria, si Apostolica Sedes errores, & hæreses in Bajo pridem, Jansenio, atque eorum sequacibus damnatos, in Quesnelli quatuor tomorum Opere approbarer! Longè maxima scilicet Ecclesiæ pars, imò Ecclesia extra Galliam penè universa; ipsius quoque Galliæ pars præcipua, atque adeò fidelium plerique Ducem sequentes Sedem Apostolicam, cum ipsa à Fide Catholica deservient.

Oportet calumniatorem esse memorem. Quesnellus in Dialogis contra Decretum 1708. quo idem ejus liber primum damnatus est, pag. 177. *Non est*, inquit, *amplius in usu Roma injuriorum judiciorum revocatio.* Unde igitur tanta solatii, & fiducie Quesnello causa? quasi apud CLEMENTEM XI. prævalitura est supposita à Quesnello veritas, ab eodem Pontifice damnata, tanquam error adhuc alias proscriptus, & Jansenianam hæresim manifeste sapiens? Perspicuum est prætentam Quesnelli veritatem triumphare in Pontificis judicio non posse absque superioris revoca-